DE DIÆTETICA GRAVIDARUM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giovanni Battista Ghirotti

Digitized by Google

DE

DIÆTETICA GRAVIDARUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM

IN CÆSAREA REGIA UNIVERSITATE PATAVINA

RITE ADIPISCENDAM

PUBLICE DISQUISITIONI SUBMITTIT

GHIROTTI JOANNES BAPTISTA

A MONTESILICE

PATAVII

TYPIS LIVIANÆ

1846

Digitized by Google

MATRI PERAMATISSIMAE

FIDE AMORE ET MERITIS ERGA FILIOS

NULLAE SECUNDAE

QUAE DIU VOTIS

DIEM HANC FELICISSIMAM EXOPTABAT

IN

AETERNUM ANIMI GRATI

MONUMENTUM

INFIRMUM SED PRIMUM

LITTERARIUM CONAMEN

FILIUS

SACRUM HABERE

VULT

Digitized by Google

PROOEMIUM

Quum mihi in conspectu vestro jucundissimo hodie dicendum sit, et de nobilissima Medicinae arte disserendum, fateor, auditores, me multa animi trepidatione turbari. Is enim ego sum, qui nec satis apte, nec satis abunde, argumentum aliquod quodcumque sit persolvere queam. Quod si ad auditores meos mentem animumque converto, video equidem optimum quemque in magno discrimine versari coram vobis eruditissimis viris, et omni scientiarum genere apprime excultis, dicentem atque disserentem. Quî vero rebus meis consulendum censeam? Vestram primo bonitatem atque indulgentiam exorabo, quae det veniam debilitati meae, meque in hoc novo dicendi genere, in loco hoc ornatissimo timentem erigat atque sustentet. Fretus igitur vestro favore, non sine ratione statim iter aggredior, de Diaetetica gravidarum dicturus, atque ita ut nonnulla praecepta ad partus atque puerperii diaeteticam pertinentia breviter adjiciam; partum enim et puerperium graviditati quasi quodam communi vinculo jungi neminem latet. Nec inconsulte, auditores, hanc Medicinae partem perpendendam suscepi; pauci enim, quod sciam, de hoc argumento tractarunt, et summi momenti esse pro publico bono atque utilitate censui. Quod si quid forte in tota rei pertractatione desideratum erit, temporis angustiae, ac virium debilitati, velim condonetis.

Digitized by Google

ꝟ6ꝟ

DIAETETICA GENERALIS.

Si plurimum omnibus qui vita fruuntur, ad valetudinem servandam, purus aer atmosphaericus confert, ecquis unquam ignorabit, gravidis praecipue eundem necessarium esse? Feminae, praecipue urbibus majoribus, sanitati propriae raro cubile deserentes male consulunt. Generatim ultimis graviditatis mensibus a motu abhorrent quod difficile sane incedere queant. Sereno tempore tamen gravida quotidie obambulet, aere libero utens, et quidem ante et post meridiem. Si autem tempus nubilum fuerit, aere humido, nimis frigido vel calido abstineat, et domi maneat necesse est. Caeterum sollicita sit de eo ut in cubili ipso aer atmosphaericus purus servetur: hinc ventilatio saepius de die instituenda, et quidquid aerem inquinare valet inde auferendum, ut carbones candentes, plantae valde odorae et sic porro.— Temperies quoque sit moderata, et quantum fieri potest aequabilis.

Cibum gravida sibi semper eligat eum qui magnam facultatem nutriendi, minorem vim digestivam exposcit; nam tempore graviditatis omnis vita in utero quodammodo exstare videtur, caeteris functionibus antagonistice labentibus, quod de digestione quoque valet: et eodem tempore femina plurimis substantiis nutrititiis eget. Huc referendi sunt cibi ex carne et muco-saccharo conditi: caro autem sit recens et melioris conditionis, uti bubulina, vitulina, pullina, columbina, et caro piscium nobiliorum. E contra caro salsa et fumo praeparata, cum sale et fumo induretur, et digestioni difficilius cedat, est rejicienda. Ex regno vegetabili sequentia commendantur: oryza sativa, sagus, panicum miliaceum. Caetera vero, uti brassica capitata et beta

Digitized by Google

vulgaris, sanitati non bene prosunt; partim enim parum substantiae nutrititiae continent, patim flatus molestos provocant. In casu tamen majoris appetentiae concedendus usus dauci carotae, cerasorum, prunorum, pomorum et sic porro, praesertim aestate, quo tempore omnis organismus celerius functiones suas peragit. Non minus gravidis fugienda sunt diuretica, ne causa occasionalis abortus ponatur. Regula haec quammaxime illas spectat, quae ante breve tempus conceperunt, vel jam abortum passae sunt.

In seligendo potu pristina consuetudine ducantur, nisi vires generatim, vel saltem vis digestrix labefactata fuerit, quo casu aquae potus cum illo vini vel cerevisiae bene fermentatae commutandus. Potui coffeae adsuetae feminae eundem porro sumere possunt, sed curam gerant ut satis apte paretur. In multis domibus coffea non tosta, sed potius combusta invenitur. Hujusmodi potus revera valetudini oppositus censetur.

Monendum quoque in gravidis saepius existere idiosyncrasiam erga nonnullos cibos vel alia objecta, et appetentias insuetas. Hic quidem nullae regulae speciales praescribendae, optimumque si femina, ad se ipsam attenta, sciat quid sibi conveniat, quidque damnum inferre valeat. Sed bene perpendendae hae appetentiae, et sedulo distinguendae ab illis, quarum causa nonnisi in praejudicio aut etiam immoralitate invenitur. Harum satisfactio neutiquam necessaria ducatur, nam foetus nil patitur, quamquam multi multas de hoc fabellas dictaverint.

Conditio vestimentorum praecipuam attentionem meretur. Vestis ita corpori adhaereat, ut non solum adversus injurias aeris atmosphaerici mulierem tueri valeat, sed etiam nullam partem corpo-

Digitized by Google

470

ris premat, ne eam forsitan in functione sua turbet. Nocent igitur thoracula laminis metallicis instructa, et fasciae tibiales stringentes. Ope dictorum enim vestimentorum non tantum abdomen premitur et foetui noxa infertur; sed respiratio, persaepe tempore graviditatis difficilis, etiam difficilior fit. Fasciae tibiales, pressione nimia circulationem in vasis superficialibus impedientes, occasionem praebent varicibus tam molestis.

Quammaxime autem necessarium est vestem singulo statui abdominis adaptare, nam increscente utero abdomen quoque diversimode extenditur. Probandus itaque usus fasciae abdominalis, quae praeter quod a refrigeratione tueatur, etiam nimiam extensionem abdominis et pondus nimium moderari valet. Fascia mane adplicatur, et quidem vel super indusium, vel super nudum corpus; noctu autem solvi necesse est.

Motus alternus debita proportione cum quiete gravidis necessarius. Nocet autem diuturna mora in lecto, corpus enim totum pigrescit, digestioque debilitatur. Foetus in utero contentus huic, ope vasorum sanguiferorum laxorum et mollium, adnexus est. Vasa haec facile lacerantur si corpus, praecipue abdomen, commoveatur. Quae laceratio magnam sanguinis effusionem, et abortum facile provocare potest, sit hoc quocum mense. Hinc sequitur feminam nunquam prosilire debere ex alto , neque in curru evehi nimis corpus commovente. Simili ratione prohibendus omnis motus cujus causa abdomen premitur. Caeterum abstineat a laboribus nimis delassantibus. Quoad commotionem corporis id notandum, multas feminas, praecipue recenter nuptas, graviditatis tempore quoque, coitum frequenter inire, quod minime adprobandum: vel ex toto abs-

Digitized by Google

tineant, vel saltem, in quantum fieri potest, modum habeant, nisi abortum provocare velint.

Quidquid dictum est de motu corporis valet quoque de animo et mente. Omnia vitanda quae facultates intellectuales nimis fatigant, aut animum commovent, nam hac ratione numquam corpus immune manet, et utero noxa infertur. Praecipue autem fugiant gravidae animi adfectus deprimentes, uti sunt: timor, tristitia, moeror, terror, et alia. Idem valet quoad opus imaginationis, quae saepius nimis elata, vel perversa observatur. Quis ignorat quantum haec in corpus influxum exerceat?

Vita animalis vitae vegetativae sumptibus viget, eamque consumeret cito nisi per periodos suspenderetur. Haec suspensio somnus est, princeps substentandae sanitatis et protrahendae vitae remedium. Somnus enim, vitam omnem ad vegetationem convertens, assimilationem, nutritionem et reproductionem augens, ea restaurat quae sub vigilia per mentis corporisque labores dissipata sunt. Somnus autem maxime reficiens is est, in quo mentis operationes in totum fere silent; hinc somnus eo melior quo profundior et ab insomniis liberior est. Ad hunc obtinendum juvabit coenam non tarde sumpsisse et motum corporis instituisse. Somno autem sese tradens stimulos amoveat omnes qui in sensus quoscumque agere sub somno possunt. In hunc finem locus quietus, obscurus sit, et tranquillus. Situm eligat sibi gravida eum sub quo abdomen minime premitur.

Digitized by Google

Sub graviditate uterus substantiis nutrititiis scatet, quae in foetum nutriendum convertuntur: post partum vero munus hocce mammae suscipiunt, illucque succi majori quantitate advehuntur. Ad secretionem et excretionem lactis mammae jam tempore graviditatis praeparantur, quo tempore eas tumere, vasa lactifera evolvi, et fluidum lacti simile secerni observamus. Conamen hoc naturae non est praepediendum veste angusta, vel admissa refrigeratione. Non raro in feminis prima vice gravidis papilla mammae valde retracta et parva invenitur: hinc necessarium erit ultimis graviditatis mensibus defectui isto obviam ire, nam papillam parvam infans capere non poterit; mollior autem vulnerabitur facile. In priori casu suctio impossibilis fiet, in alio saltem cum dolore procedet. Sub his rerum circumstantiis debebit gravida, quatuor aut sex hebdomadis ante partum, mammis adplicare vitra suctoria, et illorum ope suctiones quatuor de die instituendas curare; sed absque vitris eundem finem adsequetur diducendo crebrius papillam digitis. Molliorem autem lotio crebrior cum *rhum*, *arac*, vel alcohole communi, duriorem reddet.

Genitalia externa quoque regulis diaeteticis subjici debent. Non sufficit autem has partes durante graviditate mundas servare, sed summe necessarium, eas ductiles reddere. Verum quidem est, in individuis junioribus, bene nutritis et plethoricis id per se fieri; sed in aliis, senioribus, macris et cholerici temperamenti, id raro accidere solet. Ductilitas partium nominatarum optime assequitur balneis tepidis, ultimis mensibus semel omni hebdomada in usum vocatis. Si hac ratione res bene non processerit, eaedem partes

Digitized by Google

et circumstantes inungendae erunt oleo amygdalarum.

Sequitur consideratio secretionum physiologicarum; huc pertinent: excretio alvi, urinae et transpiratio cutanea. In regula omne sanum individuum semel de die alvum deponat necesse est (exceptionibus hinc obvenientibus in considerationem sumptis). In gravidis debilioribus id non nisi secunda vel tertia die fieri solet, et hinc incommoda permulta timenda. Caeterum, alvo quantumcumque obstipa existente, sine consilio medici medicamenta laxantia ab illis non usurpanda, ne fors abortus provocetur. In levioribus alvi constipationibus clysmata ex infuso chamomillae cum oleo olivarum commendanda; alvo vero pertinaciter constipa, medico experto rem committant.

Secretio urinae saepe turbatur in gravidis. Jam initio nisum frequentem experiuntur et sensum ardoris sub excretione: quam maxime tamen in ultimis mensibus graviditatis hoc fieri consuevit; uterus enim extensus adeo premit vesicam urinariam, ut urina diutius contineri non possit. Tam nisus crebrior quam ardor sunt phaenomena constantia et necessaria. Gravida, in hoc negotio, stimulo naturae satisfaciat, nam suppressio illius, vesicae inflammationem et ischuriam efficere poterit.

Transpiratio cutanea in sana gravida semper minor est quam extra graviditatem, quod ex antagonismo explicatur; vita enim omnis in utero adesse videtur. Hinc vestes quidem gravidam tueantur ab injuriis aeris atmosphaerici, sed nunquam in tantum augendae ut transpiratio major oriatur, nam conamen naturae supprimeretur, cujus opus est, actionem cutis restringere in gratiam elatae actionis vitalis in partibus interioribus.

Digitized by Google

474

Mulier primipara ante partus initium de mutationibus in illo contingentibus edoceatur, ne, si quid contingat illi ignotum, frustra contremiscat. Ad partum ipsum mulier, organisatione normali instructa, nulla alia re indiget, nisi animo forti et vi musculari bona. Amplum sibi ad hunc actum cubile, aere renovato repletum, caeteroquin purum, siccum, nec nimis calefactum eligat; victu utatur modico, digestioni facili; potu non calefaciente, nisi major forsan debilitas moderatam vini portionem exigeret; nec negotio huic sese committat, nisi excrementis alvinis et urina prius liberata; nisum ad partum non nisi dolore ad illum monita exerceat, initio minorem, successive majorem, ut pro ultimo partus stadio vires reserventur. — Obstetrici manum non timeat illiusque medicamina. Foetu edito, placentae etiam exclusionem tranquille expectet. Si partus retardetur, aut cum symptomatibus gravioribus incedat, tempestivum auxilium medici quaerat artis obstetricae periti; committat propriam et infantis salutem, nec falso pudore detenta, et ejusdem auxilium respuens, utriusque periculum augeat. Absoluto partus opere, recreetur mater dilectae prolis adspectu.

Puerperae duplex incumbit cura, propriae prospiciendi sanitati et infantis saluti. Puerperae organismus id singulare habet, quod cum sensibilitate aucta maximum adipiscatur in secretionem ubique nisum, qui eousque procedit, ut, data occasione, quodlibet fere corporis organon in secretorium mutari possit. Huic nisui indulgendum est ita, ut secretio ad organa transferatur, quorum secretio obesse sanitati non potest. Organa autem, quae in puerpera secretioni, illaesa sanitate, praeesse possunt, uterus, mammae, et cutis sunt.

Sub hac igitur rerum positione puerperae vi-

Digitized by Google

vendi ratio majori cum circumspectione dirigenda est; maxime autem stimulorum externorum actio ita moderanda, ne sensibilitatem nimis augeant et circulationem turbent. Prae omnibus mens serena, animus tranquillus servandus est: absit cujusvis moeroris, terroris, irae, vel et gaudii excedentis occasio; aer purus sit, non nimis calidus ne sudorem profusum proliciat, sed nec frigidus ne refrigerationi locum concedat; cibus sufficiens sit sed tenerior, potus tenuis; excretio alvina et urinae non negligatur, vitetur medicina quaelibet a medico non praescripta. Quod lochiorum fluxum attinet, iste sub regimine vix exposito rite procedet. Si majores aut diuturniores post partum dolores in imo ventre perciperet, ad medici statim auxilium confugiendum est: idem requiritur si lochia aut reprimantur, aut nimis copiose fluant. Nihil magis timendum, quam medicamina ab ostetrice sine necessitate ad purificandum uterum et pellenda lochia ordinata.

Lochiis ad finem jam inclinantibus, et puerperae organismo in eum statum restituto, ut functionum omnium aequilibrium redeat, puerperii periodus absoluta est, ac sola nunc lactationis functio matrem occupet. Quomodo autem hoc intuitu mammae tractandae tempore graviditatis, jam superius exposui.

Partu absoluto cavendum est ne mammae sub febri lactea nimis intumescant, ac durae et dolorificae evadant. Id quod certius vitaretur, si infanti, prima aut secunda jam post partum hora, mamma nondum tumida porrigeretur, quamvis nondum sufficiens exhibeat lac. Si enim istud eadem ratione, qua secernitur, ab infante iterum exsugeretur, omnis impediretur congestio, tumor, dolor et inflammatio; infans autem, primum sugens colostrum, purgante non egeret artificiali, stomachum debilitante.

Digitized by Google

v26

Post puerperii periodum mater lactans, quae duplicem organismum nutrire debet, lautiori quodam victu indiget, si nempe appetitus et digestio vigent. Conducunt praeprimis cibi carnosi cum farinosis adhibito lacte confecti, et potus simul nutriens, ut e. gr. cerevisia. Animi pathemata non tantum matri, sed infanti etiam insidias struunt, quum irritationes nervosae vix non venenatam vim lacti communicent. Caveat ne refrigerio lactans nudas exponat mammas, unde rheumatismos, tumores, inflammationem, et inde etiam suppurationem mammarum contrahere potest, et lactis secretionem turbare. Lactis secretio nimis parca promovetur tepido mammarum fotu, victu lautiore succoso. Secretio autem profusa remediis arcenda contrariis.

Lac nimis tenue et aquosum corrigitur victu solidiore, uberius nutriente, et moderato corporis exercitio. Lac autem spissius et pingue victu tenui et potu aquoso multo emendatur.

Femina lactans quae maternis satisfacere officiis cupit, et gratam simul mammarum formam conservare optat, sequentia observet. Infantem sugentem sic brachiis suis efferat ut propius admotus mammae, non cogatur papillam e longinquo trahere, atque sic totam mammae substantiam destrahere: hac enim distractione augetur telae cellulosae, mammam constituentis, relaxatio. Dein nimiae mammarum oppletioni occurrat sic, ut mammam quidquam turgentem infanti offerat.

Distractioni, quam infans sugens et ipsum pondus mammarum lacte oppletarum producit, et oriturae inde mammarum deformitati optime occurreret femina suspensorio, pro papilla utraque perforato, quo modice adstricto, quin tamen mammas violenter comprimeret, illas sustinere facilius posset. — Fi-

Digitized by Google

nito lactationis opere, et finita lactis secretione, infusum herbarum aromaticarum, mammis per lotionem semel aut bis applicatum, reliquam debilitatem et relaxationem tollet, et gratam illis formam globosam restituet. Hae pro mammarum forma servanda curae ea de causa attentionem merentur, quia solus metus illam amittendi, feminas non paucas a dulci et sacro lactationis negotio deterrere solet.

Digitized by Google

434

THESES DEFENDENDÆ

1. Femina ubera denegans infanti, utplurimum sibi nocet.

2. In tractandis aegris rerum domesticarum ratio habenda.

3. Ex oculo legenda animi corporisque sanitas.

4. Auxilia pharmaceutica absque diaeteticis inefficacia.

5. Anatomia pathologica non morbos sed morborum effectus demonstrat.

6. Specificum inflammationis remedium non datur.

7. Cancer cultro non sanatur, at remediis qualitatem massae organicae moderantibus aliquando sanabitur.

8. Mercurius non est specificus contra syphilidem.

9. Gravissima est inter contagia et venena differentia.

10. Morbi sanatione non absolvitur munus medici.

11. Male tractant morbos cutaneos qui solum tractant cutem.

12. Verus medici judex est ejus conscientia; hinc nec laus nec injuria publica eum perturbent.

99 939037

Digitized by Google